



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XIV. De Sanctis ex ordine Cisterciensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

pòst ordinis Seraphici Minister fuit, ipsis statuta, quæ hodieque seruant, anno millesimo quingentesimo decimo sexto præscripsit. Eodem Francisco Angelico agente, *Marina Cardena*, femina nobilissima, suis opibus in Vrbe, ad radices montis Capitolini, titulo S. Mariæ, *Libera nos à pœnis inferni*, monasterium huius instituti anno 1525. excitauit, & cum alijs decem mulieribus eiusdem ordinis vestem adsumpsit: vt Gonzaga i. par. hist. Seraph. commemorat.

CAPVT XIV.

De Sanctis ex ordine Cisterciensi.

Sanctos voco, qui aut Martyrologij tabulis sunt adscripti, aut qui officio Ecclesiastico alicubi coluntur.

29. Apri. S. Robertus, Abbas & fundator ordinis Cisterciensis, obiit an. 1098. Sanctorum catalogo adscriptus per Innocentiũ II. Papã. Cuius diploma primus (quod equidem sciam) publicauit Andreas Quercetanus in Bibliotheca Cluniacensi, Parisijs anno 1614. edita.

20. Aug. S. Bernardus Abbas primus Claræ Vallis, & alter quasi parens ord. Cisterciensis obiit anno 1153. in Diuos relatus per Alexandrum III. anno 1165.

26. Ian. S. Albericus, secundus Abbas Cisterciensis.

S. Ber

S. Bernardus Alciranus, Carletæ Reguli ^{20. Aug.}

Maurici filius, in prouincia Valentina, monachus in Populeto, Turiafonensis diocesis cœnobio, ac martyr colitur officio Ecclesiastico in sui nominis basilica Alcira 20. Augusti, vbi pars corporis eiusdem adseruatur. Multa de eius vita recitat Angelus Mauricus, in suo Sanctoralis Cisterciensi, Vallisoleti edito Hispanicè anno 1613.

S. Bernardus de Candeleda, monachus in Valle Ecclesiarum, in Extremadura Hispaniæ prouincia, quiescit in loco, qui *Candeleda* dicitur, ad quem magnus est piorum hominum concursus.

S. Bernardus Caluonius, primum Abbas ^{26. Oct.} monasterij Sanctarum Crucium, post Episcopus Vicentis.

S. Bernardus Eremita, quiescit in cœnobio ^{16. Maij.} ordinis Cisterciensis in Alpibus, in monte S. Bernardi, ab ipso sic dicto: vt tradit Arnoldus VVionus lib. 3. Ligni vitæ 16. Maij.

S. Dominicus Martinez, Abbas X. Alcobatiæ in Lusitania, olim officio Ecclesiastico colebatur ab Anglis in diocesi Eboracensi: vt tradit Bernardus Brito, Chronicorum tomo I. lib. 3. cap. 22.

S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, monachus in Pontiniaco. Vide Martyrol. Rom. ^{16. Nou.}

S. Elifabetha virgo Sconaugiæ, in diocesi ^{18. Junij.}

X 4

celi

cesi Vormatiensij, obiit anno 1165. Romano Martyrologio adscripta 18. Iunij.

S. Famianus, patria Colonienfis, an. 1154. ab Adriano IV. in Diuos relatus, quiescit iuxta Callesium, prouinciæ Romanæ urbem Episcopalem, in templo ipsi sacro.

S. Franca Abbatissa. Vide Origines nostras Monasticas lib. 2.

3. Dec.

S. Gilganus eremita, frater laicus ord. Cisterciensis, obiit Senis in Tuscia, circa annū 1181. ab Alexandro III. in Diuos relatus. Res eius gestas scripsit Gregorius Lombardus, ordinis Prædicatorum.

10. Febr.

S. Guilielmus primū monachus Pötiniaci, post Abbas Caroli loci, ac demum Archiepiscopus Bituricensis, in Gallia, ab Honorio III. in Diuos relatus.

S. Gundisaluus, primū monachus in Vrsaria, vulgò *Osera*, Gallicæ monasterio, in dicecesi Compostellana, post Abbas in monasterio Iuniensi, vulgò *Iunias*, apud Lusitanos, in dicecesi Braccarensi, ibidem colitur officio Ecclesiastico.

15. Oct.

S. Hedvvis, Ducissa Poloniae & Silesiæ, monialis cœnobij Trebniciensis, in d. Vratislaviensi obiit anno 1243. à Clemente IV. Diuis an. 1267. annumerata. Vitam eius ab Ingelberto monacho scriptam recitat Surius.

17. Sept.

S. Hildegardis, virgo apud Bingam in d. Mogun-

Moguntina, claruit circa annū 1160. exstatq;
eius vita à Theodorico cōscripta apud Suriū.

S. Hugo, Abbas Bonæ-vallis, colitur offi- ^{29. A-}
cio Ecclesiastico à Congregatione Hispanica ^{pril.}
regularis obseruatię 29. Aprilis: vt constat ex
Missali & Breuiario dictæ Congregatio-
nis. Ad hunc exstat 351. Epistola S. Ber-
nardi.

S. Lutgardis, monialis in Aquiria, Bra- ^{15. Iunij.}
bantix cœnobia, anno 1246. moriens, ibi-
dem quiescit.

S. Malachias, Episcopus Connerthenfis in ^{3. Nou.}
Hibernia, post monachus in Clara Valle, à
S. Bernardo celebratus, obiit anno 1148.

S. Martinus, primus Abbas monasterij Hor- ^{5. Maij.}
tensis, in diœcesi Seguntina, post Episcopus ^{M. R.}
Seguntinus, obiit an. 1210. & vocatur S. Sa-
cerdos in Martyrologio Romano ad diem 5.
Maij: vt à R. P. Chrysoftomo Hériques, mo-
nacho Hortensi, & antiquitatum Cistercien-
sium peritissimo accepi. Vitam eius rythmis
Latinis scripsit Richardus Hortensis mona-
chus, Hispanicè autem Angelus Henriques,
in suo Sanctoralì Cistercienfi. Videatur Flos
Sanctorum Hispaniæ de eodem.

S. Martinus, primus Abbas monasterij ^{7. Oct.}
Vallis Paradisi, in diœcesi Zamorensi, coli-
tur officio Ecclesiastico à Congregatione
Hispaniæ 7. Octobr. vt ex Missali typis edi-
to patet. diploma Canonizationis dicitur ex-
stare Romæ in Vaticano.

X 5 S. Pe-

8. Maij. S. Petrus primùm Abbas Stamedij, pòst
M. R. Archiepiscopus Tarétasiensis in Sabaudia, an.
1171. viuere desijt.

7. Iunij. S. Robertus Abbas Noui monasterij in An-
glia an. 1159. obiit. De eo Martyrologium Ro-
manum 7. Iunij, Molanus & Surius tom. 3.

S. Sacerdos. Vide S. Martinus Hortensis.

S. Siluanus discipulus S. Bernardi in Cla-
ra-Valle fuit. Diploma canonizationis eius
per Cœlestinum II. I. Papam datum extare
dicitur.

17. Apr.

M. R.

S. Stephanus III. Abbas Cisterciensis o-
biit anno 1134. die 28. Martij tabulis Romani
Martyrologi adscriptus 17. April. quo die in
Sanctos fuit relatus.

S. Theobaldus, Abbas Vallis Cernaïæ, offi-
cio Ecclesiastico colitur ab ordine Cisterciē-
si: vt patet ex Breuiario eiusdem ord. Pari-
sijs edito, an. 1619.

29. Dec.

M. R.

S. Thomas, Archiepiscopus Cantuariensis,
vestem monasticam induit in Pontiniaco
diœcesis Autissiodorēsis monasterio, vt Vin-
centius Bellouacensis Hist. lib. 29. cap. 15. An-
toninus part. 2. tit. 17. c. 1. & Baronius ad an.
1164. disertè testantur.

Sunt qui his annumerent *S. Mariam Ognia-
censem*; sed existimo eam potius inter sanctas
virgines instituti Augustiniani recensendam
esse, vtpote Ogniaci quiescentem, quod est
monasterium Canoniorum regularium in
Brabantia & d. Namurcensi ad Sabim fl. sitū.
Vide infrà cap. 20.

CA